



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

LV. Markgraf Ludwig verleiht der Stadt Frankfurt das Recht Mühlen zu errichten, am 30. September 1348.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

LIV. Markgraf Ludwig weist Peter von Gesyf wegen einer Schuld auf die Hebung der Urbede aus Frankfurt an, am 16. September 1348.

Nouerint vniuersi tenorem presencium inspecturi, Quod nos Ludouicus, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, Comes palatinus Reni, Bauarie et karinthie dux, Sacri Romani Imperii archicamerarius, Tyrolis et Goricie comes, necnon aquilegiensis, Tridentinensis ecclesiarum aduocatus, obligamur et tenemur ex legitimis debitis Discreto viro petro de Gesyf, cui in frankenuord, fideli nostro dilecto, in Quadringentis marcis argenti Brandenburgensis ponderis et monete, quas Sibi et suis heredibus in pensione annua ciuitatis nostre frankenuord predictae deputauimus tollendas et presentibus deputamus, sic, quod in festo beate Walpurgis proximo, cum terminus solucionis Sophie, conthoralis quondam nobis dilecti Johannis Bauari, cuius ciuitatis predictae, exspirauerit, primus fructus pensionis predictae percipere debet, quousque secundum debitum ordinem ipsis satisfactum fuerit in eisdem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus duximus appendendum. Datum in kopenick, Anno M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XL octauo, feria tertia post Exaltacionem sancte crucis.

Nach dem Orig. des Stadtarchives VIII, 2, 54.

LV. Markgraf Ludwig verleiht der Stadt Frankfurt das Recht Mühlen zu errichten, am 30. September 1348.

Nouerint Vniuersi tenorem presencium inspecturi, Quod nos Luduicus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, Comes palatinus Reni, dux bauarie et karinthie sacrique Romani Imperii archicamerarius, Tyrolis et Goricie Comes, Intuentes fidelium seruiciorum constantiam discretorum virorum, Consulium et vniuersorum Ciuium Ciuitatis nostre Vrankenuord ipsis presentibus et futuris Damus presentibus, annuimus et dedimus liberam facultatem construendi seu edificandi Molendina super proprietate dicte Ciuitatis in aquis, in terris, vbicumque et qualitercumque et quandocumque ipsis placuerint et visa fuerint expedire. Quorum molendinorum Vtilitates in censu, pensionibus et omnibus fructibus perpetuo ad Ciuitatem predictam solummodo spectare debent et perpetue pertinere. In cuius testimonium presentes literas dari fecimus, sigilli nostri appensi munimine firmiter communitas. Testes vero huius sunt: Nobilis vir Guntherus Comes de Swartzburg, dominus im Spremberg, Necnon strenui viri Swikerus de Gundelfingen, Curie nostre magister, Vlricus Willbrand, Beringerus Hale, marscalcus noster, et Wolfhardus de Satzenhouen, milites, Cum ceteris pluribus fidedignis. Datum Vrankenuord, Anno domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> octavo, feria tertia in crastino beati Michahelis archangeli.

Nach dem Originale des Stadtarchives VIII, 1, 38.